



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 56. De B. Virginis solitudine, & quid illa egerit post filii sepulturam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO LVI.

DE SOLITVDINE B.
Virginis, post filij sepul-
turam.

PUNCTVM I.



EPVLTVRAE officio omni-
nò perfecto, Virgo sacratissi-
ma, nouo dolore plena, quòd
se omninò solam videret, & nò
solùm viuente filio priuatam,
sed etiam eius corpore demortuo, statuit ad
suam habitationem redire, comitantibus il-
lam nobilibus illis viris, Magdalenâ & aliis
denotis mulieribus. Cùm autem peruene-
runt ad montem Caluarium, & Virgo san-
ctissima filij sui crucem videret, illam adora-
uit, ipsa omnium prima, hoc nobis huius ad-
orationis exemplum præbente. O quàm te-
nera verba & pia tunc dixerit, sese cum cru-
ce oblectando! flexerit in terra genua, & e-
leuatis in altum manibus, inceperit dicere:
Salue crux pretiosa, in cuius brachiis obiit
ille, quem ego infantem in meis tuli! felici-
or tu in hoc fuisti, quàm ego: siquidem in me-
is incepit ille mundi redemptionem, quam
perfecit in tuis, benedicta tu es inter omnes
creaturas, quia in te commutata est maledi-
ctio culpæ, in benedictionem gratiæ. ille e-
nim mortuus est in te, vt vitam adferret

mundo. Salve ò arbor vitæ, cuius fructu mortales omnes, vitam æternam consequi possunt: ego te adoro, tanquam imaginem eius, qui est imago Dei invisibilis, & extendit brachia sua & pedes in te, ut renouaret imaginem, quam Adamus peccato suo deleuit. His & similibus aliis verbis adorauerit Beatissima Virgo sanctissimam crucem; & reliqui ad eius imitationem idem fecerint. In ipsa verò via, cautiore quoque & sollicita fuit, ne sanguinem, quem filij sui esse credebant, calcaret, quod esset eius diuinitati coniunctus; fueritque illi magnus dolor, si quis illum calcaret: ac fleuerit eorum peccata, a quibus (vt ait Apost.) *filium Dei conculcant, & sanguinem testamenti noui pollutum ducunt.*

a Heb. 10. 29

CUM ad suam habitationem rediisset B. Virgo, demisse valde gratias egit duobus illis nobilibus & pijs viris, Iosepho & Nicodemo, ob charitatis & pietatis officium filio suo præstitum, & ita illis valedixit, & forte dixit, quod aliquando Dauid habitatoribus Galaad, cum sepeliuerunt Saul à Philistæis occisum: *benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam; sed & ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud ei.*

b. 2. Reg. 2. 5

(:)

PUNCTVM II.

INGRESSA Virgo sanctissima suam habitationem, & in conclavi aliquo se colligens, incepit flere solitudinem & desertionem suam. Habebat animam suam in plura loca diuisam, in quibus thesaurus erat cordis sui.

Pars VNA erat in sepulchro, cum corpore filij sui, meditans & ruminans dolores, quibus ille in sua passione fuit affectus. I.

ALTERA pars erat in Lyngo cum anima eiusdem filij, contemplans quid illa cum patribus, qui ibi erant, ageret: sed multò magis hoc tempore cor eius occupabatur doloribus, memoria sua illos recogitans, & eorum causas deflens, æterno Patri supplicans, vt eorum fructum plurimis applicaret, ad gloriam eius, qui fuit illos perpeffus.

ALTERAM noctis partem expendit in conferendo cum suis comitibus de CHRISTI laboribus. Præcipuè Sanctus Euangelista Ioannes referebat illi, quæ eius Magister in coenaculo egisset, quo pacto Agnum Paschalem cum illis comedisset, lauisset eorum pedes, instituisset sanctissimum corporis & sanguinis sui Sacramentum, ac diuinum sermonem ad illos habuisset, illis prædicens, quæ essent euentura; & postea

ad

ad hortum Gethsemani se contulissent, ac verba tristitia plena, quæ illis ibi dixerat, & quod se ab illis ter ad oradum separasset, ac denique quod Iudas, venisset cum exercitu militum & ministrorum ad Iesum comprehendendum, & miracula quæ ibi fecit, & quæ ratione discipuli omnes fugientes, illum deseruissent. Hæc omnia magna pietate & spiritu SS. Virgo audiens, conseruabat & conseruabat in corde suo, sed cum ad eas poenas se conuerteret contemplandas; quas ipsamet viderat, tota resoluebatur in lacrymas, & in hoc reliquam noctis partem consumebat. O Virgo suprema, vellè tecum flere, sicut Propheta Ieremias, ac dicere: *quomodo sedes sola quæ eras sicut ciuitas plena populo! facta es quasi vidua deserta, quæ iure es Domina gentium: plorans ploras in nocte, & lacryma tua defluunt per maxillas tuas. Non est qui te consoletur ex omnibus charis tuis: nam alij fugerunt, alij facti sunt tui crudeles inimici.*

Thren. 1. 1.

CONSOLARE Ò Princeps suprema, cessent gemitus & suspiria tua, sistatur fluxus tuarum lacrymarum; quia frumenti illud granum quod est conditum & seminatum in sepulchro, prodibit tertia die viuens cum fructu copiosissimo, vt centuplum reddat lætitiæ, pro tua ista solitudine & tristitia.

III.

PERPENDAM præterea; eodem tempore, quo bonus hic Pastor, animam suam pro suis ouibus posuerat, quamuis ad Lybnum descēderit, vt ouibus quæ in eaulis illis erāt,

con-

conolationem afferret, & eas in libertatem vendicaret; nō tamen earum fuisse oblitum, quæ manserāt super terram, & sicut oues sine Pastore errabant. Nam virtute suæ omnipotentix, ex Lybno ipso illis inspirauit, vt se ad locum reciperent, vbi eius Mater erat, vt illa ipsius loco, eas cōsolaretur, & corroboraret. PRIMVS qui venit, fuit S. Petrus, totus flens ac dolens, ob trinam sui Magistri negationem; & prostratus coram ipsa Virgine, & condiscipulo suo Ioanne, repetiuerit fortē amaras suas lacrymas, tum ob negationes suas, & laborem sui Magistri, tum ob ipsius Matris desolationem, & reliquorum qui ibi flebant. Quem Virgo sanctissima blande est consolata, vt quæ optimē nosset cōditionem Dei, qua flentes cōsolatur. SECVTI sunt mox reliqui Apostoli quos omnes ipsa Virgo sacratissima, magna charitate excipiebat, sicut gallina solet pullos suos sub alas colligere, cum fugiunt transuolantem miluum. Exhortata est illos, vt fidem haberent, & spē Resurrectionis Filij sui; nam vt fuit impletum, quod ipse prædixerat, de sua crucifixione & morte; ita implendum fore, quod prædixerat de sua Resurrectione. O Virgo suprema, quàm aptè exordiris officium veræ Matris, quod filius tuus, in cruce tibi commisit: recipe me sub tuis alis; ne inferni milui mihi nocere audeant.

LICET etiam perpenderē sensum ipsius Virginis & Apostolorum, cām aduerterunt

IV.

duo-

duodenario suo numero deesse Iudam; & miserandi huius infelicitatem, qui, si poenitens venisset ad Beatissimam virginem, sicut venit S. Petrus, absque dubio illum recepisset, & consolata fuisset: verum eius culpa, iam eum eò deduxerat, ubi nec pax vlla, nec consolatio vnquam esse porest.

PUNCTVM III.

I. **E**RAT autem a ibi Maria Magdalena & b
 a Mat. 27. 61 Maria Ioseph c & pia alia mulieres, qua
 b Mar. 15. 47 cum illo venerant de Gallilea, a sedentes contra
 c Luc. 23. 55. sepulchrum, c qua viderunt monumentum, & quem admodum positum erat corpus eius, & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, vt post diem sabbati b venientes vngerent Iesum.

CONSIDERANDA est hoc loco deuotio, ac vigilãtia piarum harum mulierum, tũ in attenta inspectione eorum, qua siebãt circa sepulcrum Christi, & ipsius loci, & situs quo ipsum corpus iacebat; vt cũ postea redirent, omnia sibi esset perspectatum in preparãdis citissime aromaticis speciebus, quibus illud vngerent, quamuis enim centum libræ myrrhæ, in prima vnctione fuerint expositæ, hæc tamen pauca illis videbantur pro desiderio, quo tenebantur ipsæ, honorandi & seruiendi Magistro suo, à quo tot bona acceperant. Et quãuis opus hoc piarum mulierum admixtã habuerit aliquam imperfectionẽ fidei: Ex eo tamẽ duo discere possum, per totã vitã mihi faciẽdo præcipuẽ post sacram communionẽ.

PRI-

PRIMVM est, in quiete & cum mora, nō ex curiositate, sed ex caritate contēplari quidquid ad Christum crucifixum, mortuum, & pro me sepultum pertinet; & modum, quo idem ingreditur ad vna animarum sepulcra, quæ illum in sacramenta recipiunt; & quid in illis postea ipse operetur.

ALTERVM est, vt nō sim contentus sola meditatione & contemplatione, sed pergam postea colligere species aromaticas, exercitia videlicet virtutum odorifera ad gloriam ipsius Dei, ad vtilitatem proximorum, & ædificationem Ecclesiæ, quæ est eius corpus mysticum, quod his operibus vngitur.

MEDITATIO LVII.

DE CVSTODIBVS AD
Sepulchrum Christi adhibitis
& de eius corporis in-
corruptione.

PVNCTVM I.



ALTERA autem die, quæ est a Matt. 22.
post Parasceuen, conuenerunt 62.
Principes sacerdotum, & Phari-
risæi ad Pilatū, dicentes: Domine
recordati sumus, quia seductor
ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam.
Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem

terti-